

Johann Christoph Dommerich

De Christeidos Klopstockianae Praecipua Venere Prolusio : Acroamati Oratorio Serenissimi Principis Ac Domini Caroli Brunovicensium Ac Lunaeburgensium Ducis Optimi Patriae Patris Felicissimo Natali Kalendis Augusteis Sacro Et D. IIII. Sextilis A. R. S. MDCCLII. In Superiore Scholae Nostrae Auditorio Habendo ; Invitationis Causa Praemissa

Wolfenbüttel: Bindseilius, [1752]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn815774842>

Druck Freier  Zugang





f.
7370(2²)

G 7370 (2.2)

11.

DE
CHRISTEIDOS KLOPSTOCKIANAE
PRAECIPVA VENERE
PROLVSIO

ACROAMATI ORATORIO

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

CAROLI

BRVNOVICENSIVM AC LVNAEBVVRGENSIVM DVCIS
OPTIMI PATRIAE PATRIS

FELICISSIMO NATALI KALENDIS AVGVSTEIS
SACRO

ET D. IIII. SEXTILIS A. R. S. MDCCLII.
IN SVPERIORE SCHOLAE NOSTRAE AVDITORIO HABENDO
INVITATIONIS CAUSA PRAEMISSA

AVCTORE

IOAN. CHRISTOPH. DOMMERICH

PHILOSOPH. DOCT. INCLIT. PHILOSOPH. IN ALMA IVLIA
CAROLINA COLLEG. ADIVNCT. ET SCHOLAE DVCALIS
VVOLFENBVTTLENSIS RECTORE.

VVOLFENBVTTLEI
TYPIS IOAN. VVILHELMI BINDSEILII.

G-7370(22)

*Academische
Bibliothek
Rostock*

*Academische
Bibliothek
Rostock*

CHRISTIANUS ALPHONSEUS

PROFESSOR

PHYSICAE

ACADEMIAE

ALMA MATER

GAROLI

IN

PHYSICA

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE

PHYSICAE



Quam nobis Poetae depingit imaginem ipse ab-
solutissimus Poeta FLACCVS (a), elegans
admodum est, optimeque expresſa. A quo
enim meliorem desideret aequus rerum ar-
biter, quam ab eo, qui artis poeticae fuit peritissimus? Ita
autem vates noſter:

*putes hunc esse Poetam
Ingenium cui sit, cui mens diuinior, atque os
Magna sonaturum, des nominis huius honorem. (b)*

Tria sunt, quae in veri nominis poeta, non poetaſtris no-
ſtris (quales, vt locuſtas, Poeseos hortis et per hos in o-
mnia fere eruditionis latifundia immisit hoc saeculum) re-
quirit criticus noſter aequissimus: *ingenium, mentem diuinio-
rem, atque os magna sonaturum.* Ingenium, quod iudex
poeta desiderat, naturae bonum est: nam poeta nascitur
(c). Mens diuinior τὸ θεῖον seu poeticum spiritum, animi
illam inflammationem, afflatum diuinum significat, *quo si-
ne, auctore CICERONE, nemo umquam poeta magnus euasit* (d).
Os, magna sonaturum, stili indicat sublimitatem. Non igitur

)(2 Satis

a) Ita de se ipse *Carm. Libr. I. Od. 1.*
ad Maecenatem.

*Quod si me lyricis vatibus in-
feres*

Sublimi feriam sidera vertice.

Recte quoque MANVTIVS *Libr.*
VI. Epist. 7. sentit, cum nemi-
nem fore ad Silium scribit, qui,
modo aliquid de poetis iudicare

posſit, vni inter Latinos omnes
Horatio vel acumine ingenii vel
sententiarum grauitate, palmam
non tribuat.

b) *Sermon. Libr. I, 4. 42. sequ.*

c) *Valet natura ipsa Poeta et mentis
viribus excitatus. CICERO pro
Archia c. VIII,*

d) *de Diuin. I, 80.*

III.

*Satis est puris versum perscribere verbis;
Quem si dissoluas, quiuis stomachetur eodem*

*Quo personatus pacto pater. His — — —
— — — eripias si*

*Tempora certa, modosque et quod prius ordine verbum est,
Posterius facias, praeponens ultima primis — — —
Inuenias etiam disiecti membra Poetae (e).*

Quae cum ita sint, si versificatorum, quorum omnia plena sunt, instituemus dilectum, plurimi sane e poetarum numero erunt excerpenti, nominis huius augusti honore indigni. His haec diu iam inter nostros agitata fuit, Heluetios praesertim et Lipsienses quosdam, quorum illi artis poeticae naturam atque indolem penitus perspicere arbitrati sunt, veterum poetarum testimoniis atque exemplis suffulti: hi vero externam eius faciem intuentes, de eiusque ornatu solliciti; verum poetae characterem obliti paene nonnullis visi (f). Nobis non datum esse, tantas componere lites, scimus ipsi aequae bene, ac nihil nos vetare, illorum accedere partibus, qui, quo melius veterum premat vestigia poeta, eo illum esse perfectiorem, iure suo contendunt (g).

Dedit

e) *Sermon. Libr. I, 4. §4. sequ. 60. 61. sequ.*

f) *Qui huius belli poetici, quod et olim et nostris adhuc temporibus quosdam in furorem fere agere consuevit, continuam legere cupit historiam, hunc ablegamus ad istos heroicis scriptores, qui pro aris et focis hac de re pugnarunt. In den criti-*

schen Beytraegen zur deutschen Sprache, den Belustigungen des Verstandes und Wises, den Haellischen Bemühungen. Conferri hic quoque meretur celeb. GEORG. FRID MEIERI Beurtheilung der Gottschedischen Dichtkunst.

g) *Quod si PLATO de Legib. Libro VII. p. 888. edit. Francof. 1602. fol. Poematum Electores non*

par-

Dedit nobis, quod viuimus, saeculum poetam, in quo natura quid valeat, experta esse videtur, suspicionem pertaesa, quod in HOMERIS et VIRGILIIS omnes suas exhausterit vires (h). Non in cunis gementem, neque puerum, neque praetextatum, neque togatum nouimus diuinum hunc vatem: sed vir natus est, immo, vt vere dicam, virilem superauit aetatem, (fallor ne, si dico, humanam?) antequam nasceretur totus (i).

Crescit occulto velut arbor aeuo

Fama KLOPSTOCCI: micat inter omnes

Illius fidus, velut inter ignes

Luna Minores. (k)

) (3

Di-

pauciores quam quinquaginta annos natos esse vult, ne Resp. inde quid capiat detrimenti: id saeculi nostri praecocibus iuuenibus in aurem esto dictum.

h) Ita enim de Homero VELLEIVS PATERCVLVS Libr. I. c. V. edit. Burmann. 1744. p. 34. Clarissimum deinde Homeri illuxit ingenium, sine exemplo maximum: qui magnitudine operis et fulgore carminum solus appellari poeta meruit. In quo hoc maximum est, quod neque ante illum, quem ille imitaretur, neque post illum, qui eum imitari posset, inuentus est. Conferantur cum hoc praeconio reliqua, quae LIPSIVS et BOECLERVS ad hunc locum notarunt. De VIRGILIO eandem tibi iam inflat PROPERTIVS Libr. II. eleg. vlt.

Cedite Romani scriptores, cedite Graii

Nescio quid maius nascitur Iliade.

Et longo post eum interuallo MARTIALIS Libr. V. Epigr. 5. edit. Lud. Schmidfi:

Ad Capitolini caelestia carmina belli,

Grande cothurnati pone Maronis opus.

i) Nulla, quae ego scio, suo nomine insignita, edidit poemata ante, quam excellentissimum hoc opus luci exponeretur publicae, in quo, nondum ad umbilicum perducto, virum se iam praeficit.

k) HORATIVS Carm. Libr. I. 12. 45.

VI.

Diximus iam poetae nomen, in quo regia exstant sapientiae ac liberalitatis documenta, quae si in quem vniquam dignum ac bene merentem collata sunt, nescio an in poeta nostro digniorem. FRIDERICVS V. *Danorum sapientissimus ac pientissimus Rex, optimorum Regum exemplum*, vatem hunc nostrum regia sua dignatus est liberalitate (l), qua num sibi vel poetae magis consuluerit, anceps est quaestio. Annum ipsi concessit stipendium (m), vt Musae eius otium concederet, quod ad absoluendum diuinum illud opus, (ecquis Mesiam ignorat (n)?) requiritur: res enim
agendae

l) Poetas iam olim regibus curae fuisse, testis est OVIDIVS *Art. Amat. Libr. III, v. 405. sequ. p. 684. edit. Burmann. mai. Tom. I.*

Cura Ducum fuerunt olim Regumque poetae:

Praemiaque antiqui magna tulere chori.

Sanctaque maiestas, et erat venerabile nomen

Vatibus: et largae saepe dabantur opes.

Sic Euripides Archelao Macedoniae regi, Anacreon Polycrati Samio, Simonides, Pindarus, Bacchilides Hieroni Siciliae tyranno: iidem quoque Anacreon, et Simonides Hipparcho Pisisstrati filio carissimi fuere, vt HEINSIVS ad hunc Ouidii locum bene notat. Legitur hoc quoque in vita Anacreontis a viro graecantissimo IOSVA BARNESIO conscripta, et Eiusdem huius Poetae

optimae praefixa editioni. Cantabrig. 1705. pag. XVI. sequ.

m) Quadringentorum thalerorum s. imperialium munus liberalissimum, ab omnibus aliis vinculis vacuum. Regium sane donum, idque imitatione dignissimum. vid. Goetting. Gel. Zeitung. 1750. 96. St. p. 768.

n) Primum heroicum hoc carmen in lucem prodiit in dem 4 et 5 Stück des 4 Bandes der neuen Beytraege zum Vergnügen des Verstandes und Wizes. Bremen 1748. Tribus tunc illud tantum constabat odis, quas ego in epico carmine libros potius dicerem. Seorsim vero priores hi tres libri anno 1750. excusi sunt forma octava minori, quos splendidior, figurisque aeneis ornata, editio, duobus Libris aucta, excepit Ha-lae 1751. apud Car. Herm. Hemmerde. 8. mai. 12 pl.

agenda raro tantum nobis temporis relinquunt, quantum ad bene, recteque scribendum necessarium est (o). Quae res, Regum maximo sane digna, testimonium dat luculentissimum, neque temporibus nostris deesse Maecenates, modo si Marones adfuerint. Facēsant igitur procul abhinc aeuo hoc indignae querelae, quas vnus FRIDERICVS, *Danorum Augustus*, fatis refellit. Ita autem conqueruntur saeculi nostri hospites: (p)

*Sint Maecenates, non deerunt, Flacce, Marones,
Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt.*

Idem MARTIALIS alio loco: (q)

*Saepe mihi dicis, Luci clarissime Iuli,
Scribe aliquid magnum, desidiosus homo es.
Otia da nobis, sed qualia fecerat olim
Maecenas Flacco, Virgilioque suo.
Condere victuras tentem per saecula chartas,
Et nomen flammis eripuisse meum.
In steriles campos nolunt iuga ferre iuueni;
Pingue solum lasfat, sed inuat ipse labor.*

Gaudet iam Germania nostra poeta, nemini omnium saeculorum secundo, gratulatur sibi ingenium poeticum, quod exteris, magnam hac in re gloriam prae se ferentibus, imitandi desiderium post se relinquit, cum ad eius magnitudinem difficilis ipsis pateat aditus. Decus hoc nostrum, patriam tellurem, maximorum ingeniorum, et in quauis arte praestantissimorum virorum fertilissimam esse, abunde

o) vid. CICERO *de Offic.* Libr. II. p) MARTIALIS *Libr. VIII.* ep. 58. c. I. edit. Graeu. 1710. p. 191. q) *Libr. I.* ep. 8.

VIII.

de probat (r). Neque nostri in poetarum maximum ita sunt iniurii, aut ingrati, vt eius non maximis cum laudibus agnoscant insignia merita (s). Sapientissimus, et doctissimus quisque diuinum hunc vatem digne miratur, illoque delectatur, ita vt poeticae suus apud nos adhuc constet honos, sua existimatio.

Est

- r) Germaniam plurimarum, earumque vtilissimarum rerum inuentricem esse, nec non summorum in quavis disciplina virorum almam matrem, singulari, vt solet, facundia docet disertus GOTTSCHEDIUS in der Lob- und Gedächtnißrede auf die Erfindung der Buchdruckerkunst, quae exstat in dem gepriesenen Andenken von Erfindung der Buchdruckerey. Leipzig 1740. p. 21. 22. 23. et nuper adhuc exteris hoc egregie ostendit, vir illustris a BIELEFELD, Potentiss. Borussiae Regis a Consil. Intim. qui Eius quoque Academijs curat, scripto: *Progrès des Allemands dans les sciences, les belles lettres et les arts particulièrement dans la Poésie et l'Eloquence*, sub ficto nomine Amstelodami, Berolini publicato 1752. 12.
- s) Primi, qui publice poema hoc digne laudarunt, fuerunt eruditissimi Goettingensium Ephemeridum Litterariarum Auctores vid. *Goetting. Gel. Zeit.* 1748. 95.

St. p. 757. 758. Paulo post GEORG. FRIDER. MEIERS, celeberrimus apud Halenses Philosophus, maximis ad caelum vsque illud extulit dignis laudibus in *der Beurtheilung des Heldengedichtes, der Messias*. Halle 1749. cuius altera editio cum parte II. prodiit ibidem 1752. 8. cuius opera et studio magnam nactus est poeta noster famam atque existimationem. Digne quoque hoc epos commendatur in *dem Geselligen*. 124. St. anni 1749. Apud Heluetios maximam idem consecutus est laudem, id quod *Commentarii Litterarii Tigurenser*, qui *Freymüthige Nachrichten* inscribuntur, anni 1748 probant. Prodiit quoque 1749. Tiguri insigne huius poematis praeconium sub titulo: *Zufaellige Gedanken über das Heldengedicht, der Messias, veranlasset durch Herrn Georg Friederich Meiers Beurtheilung dieses Heldengedichts*. Non minori vatem nostrum prosecutus est laude IOAN. NATHAN.

REI-

Est haec in scholis atque Academiis docentium praecipua laus, vt omne suum tempus, omnem operam, curam ac cogitationem in litterarum studiis ponant, cum alii rebus agendis se toti tradere debeant, honoribusque inferuire. Non facile igitur, quicquid in orbe erudito magnum est atque eximium, illorum effugere potest notitiam: quin id sibi datum existimant, vt, quibus non tantum superest litterarum temporis, viam praeceant, notaque reddant ac commendent, quae illorum interesse putant. Quae cum apud animum cogitarem, ab officio meo non putavi alienum, neque huic loco minus aptum, si *de Christeidos Klopstockianae praecipua venere* strictim quaedam, ac veluti per lancem saturam profferrem. Hac ratione enim neque apud nos poeticen negligi aut flocci haberi, et ciuitati nostrae, quae multos sane musae KLOPSTOCKIANAE dignos iam alit encomiastas, eiusque ingenio delectando studere nos, comprobabimus (t).

))

Le-

REICHEL in seiner Kritik über den Wohlklang des Sylbenmaasses in dem Heldengedicht, der Messias. Chemniz. 1749. et Idem in der Fortsetzung dieser Kritik ibid. 1752. Legi quoque merentur, quae clariss. NICOLAI, Facult. Philos. Halensis Adi. vulgavit in der Sammlung der Bemühungen einer deutschen Rednergesellschaft, hoc anno edita.

t) Primus, qui inter scholasticos doctores, diuinum hoc epos digne laudauit, iuuentutisque de meliore commendauit, celeberrimus est IO. HENR. STVSSIVS, illustr. Gymnas. Goth. Rector,

vir de re scholastica et litteraria, poetica in primis, meritisimus, in Prolusione de Nouo Genere Poeseos Teutonicae Rhythmis destitutae. Gothae 1751. 4. 1½ pl. qui felicissima, qua gaudet, vena quasdam huius carminis particulas latine vertit. Si quid hunc eruditissimum virum rogare, per obseruantiae et amicitiae leges, licet, vt integrum hoc opus latina veste donet, ac publicae exponat luci, enixe cum omnibus latinae poeseos amatoribus, cupimus. Hac enim ratione exteri quoque vatis huius magnitudinem digne mirantur;

X.

Leues qui in KLOPSTOCKIANIS poematis inuenisse sibi
persuaferunt naeuos, quosdam esse, nouimus (v).

Verum

buntur. Neque, qui gallice aut
anglice aut italice hanc Chri-
steida vertant, defuturos, arbi-
tratur. Forsan et, qui in tiro-
num aut hebetium gratiam, no-
tis vel commentariis in poste-
rum hoc opus instruant, non
deerunt. Est hoc Auctorum
Clasficorum commune fatum.

v) Quae virtutis et Christiani no-
minis hostes in felicissimum no-
strum vatem improbo labore ef-
frudere conuicia, digna minime
sunt, quae hic congerantur aut
refutentur: praesertim cum illa,
liuorem aut supercilium redolen-
tia, alibi iam sint notata. *In der
Fortsetzung der Critik über den
Wohlklang des Sylbenmaasfes in
dem Mesfias* p. 7. et sequ. Idem
quoque in Germanorum quos-
dam quadrare, inde apparet,
quod perillustri VOLTAIRIVS de
Gente sua ex alterius ore adfir-
mat. *Les François n' ont pas la tête
epique.* Vid. *Oeuvres de Mr. de
Voltaire tom. I. p. vlt.* Sunt potius
alia quaedam, quae in ipso car-
mine nonnullorum meruisse visa
sunt reprehensionem. Ita celeb.
MEIERSVS poetam nostrum in
errorem delapsum putat, cum
Eloam terrae genium tutelarem
faciat, quem antea angelorum

summo loco constituisset. Vid.
p. 28. *Seiner Beurtheilung* 1. St.
Sed satis feliciter, immo felicissi-
me huius incuriae suspicione va-
tem liberauit limatissimi ingenii
auctor *der Zurichischen zusaelli-
gen Gedanken* p. 12. et sequ.
Nec minus acutissimum Philoso-
phum locum, quo *Abbadonae*,
mali angeli, fit mentio, non ex
ingeniosissimi Poetae mente in-
terpretatum esse, miratus sum.
Ingentem huius carminis macu-
lam putat, quod poeta Diabo-
lum, cui talis federit mens, ae-
ternae damnationi tradat, me-
liori sorte dignum, nisi restitu-
tionis falso dogmati calculum
adiicere voluerit. Ego quidem
hanc maculam minime offendi,
neque a me impetrare possum,
vt KLOPSTOCKIVM, qui vbi-
que non vulgarem, sed rariorem
prodit cognitionem Theologi-
cam, huius erroris arguam: ne-
que quisquam, qui systematica
doctrinarum sacrarum instructus
est scientia, (quam vates noster
prae se fert,) heterodoxiam hic
reperiet. Quas mouit, difficul-
tates statim euanescent, si se-
quentia attenduntur 1) sola poe-
nitentia ad salutem non sufficit
2) non omnis poenitentia saluta-
ris

*Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura.*

— *Operi longo fas est obrepere somnum:*

*Nam neque chorda sonum reddit quem vult manus et mens,
Pescentique grauem persaepe remittit acutum:*

Nec semper feriet quodcumque minabitur arcus. (x)

Totac tantis potius musa KLOPSTOCKIANA splendet veneribus, vt, quomodo in vno homine omnes hae gratiae potuerint conuenire, magna fit admiratio. Vix enim vel vnicum quis inueniet versum, qui istis non ornatus sit, id quod poetarum adhuc nemini contigit. Felicissimus hic et noui cycli, et nouarum sententiarum, nouorumque verborum, quin totius argumenti, quod in *Mesiae* diuino cantico tractauit, inuentor. Non ex cyclicorum poetarum vulgo vnus, qui fabularum poeticarum illud systema, (*κύκλον, περίοδον* dixerunt (y),) vndique crepant, ac sapiunt. Nouum prorsus

)((2

poe-

ris est 3) poenitentia, quam desperatio sequitur, non est diuina, sed naturalis 4) sola poenitentia peccata commissa non expiantur 5) poenitentia sine fide ad salutem nihil facit. Propositiones hae systematis Theologici non ignarus facile concedet. Hinc cum eiusmodi tantum poenitentiam, in desperationem abeuntem, *Abbadonae* tribuerit, nescio qui, salua nostra fidei analogia, huic Diabolo salutem quis vel optare possit. Multa alia, quae in carmine hoc ex sua sententia

carpit, aequae facile defendi possent. e. g. quae p. 118. P. II. *Seiner Beurtheilung* de stellarum transitu monet. Stellas, quas vocant, fixas locum suum tamen mutare, easque suis iterum planetis esse stipatas, vel Astronomiae limen ingressus scit: vt reliqua taceam.

x) HORATIUS *de Art. Poet.* 351. sequi.

y) *Orbis* s. *Cyclus* est systema quoddam fabularum poeticarum a Theogonia inde ad reditum *Vlysis*. vid. HORAT. *de Art. Poet.*

v. 136.

XII.

poeta noster inuenit cyclum, Christiano homine digniorem, atque a Theogonia illa, dici non potest quantum, distantem (z). Angelos et bonos et malos profert, spiritus non ementitos neque fictos, sed reuera in mundo exsistentes (a). Non fumum

v. 136. edit. Gesnerianae, et celeberrimi huius viri Nouum Linguae et Erudit. Rom. Thesaurum sub voce Cyclus, nec non b. c. G. SCHVVARZII Disert. de Cyclo Epico.

z) De Theogoniae scriptoribus aequae ac significatione conferatur immortalis memoriae IO. ALB. FABRICII Bibliotheca Graeca Lib. II. c. VIII. p. m. 377. 378. sequ.

a) Omnino hic legi debent, quae supra laudatus IOAN. HENR. STVSSIVS, illustris Gymnasii Gothani Rector meritissimus, egregie contra celeberr. GOTTSCHEDIVM de epopoeia christiana disputauit. Digna haec est commentatio, quam Lectoribus nostris iterum iterumque commendemus, tam ob argumenti nouitatem, quam tractationis excellentiam. Legisae quoque iuuabit, quae de illa acutissimi Goettingenses iudicant in den Goetting. Gel. Zeitung. n. 62. 1752. vbi nouum contra epopoeiam christianam mouent dubium, ipsis cum aliis commune, quod, illorum verbis hic prolatum paucissimis, ex mea quidem, sententia diluam. *Ob nicht bey längerer Dauer der christlichen Epope ihre*

Erdichtungen von dem Pöbel für Wahrheiten angenommen, und zu einem schädlichen Aberglauben Anlass geben dürften, fast so, wie die Erdichtungen des Homers und anderer zuletzt geglaubt, und ihre Bücher gleichsam die canonischen Schriften der heidnischen Götterlehre geworden sind. Antiquorum poetarum scripta theogoniae, et Deorum variorum cultui occasionem dedisse concedimus: sed epopoeiam christianam eiusmodi superstitionem quoque posse producere negamus. Habemus enim scripturam sacram, quae vnica fidei nostrae est, manetque norma. Quaecumque huic repugnant, a Christiano nemine creduntur, neque credi possunt. Deinde sanior nobis de Deo, eiusque cultum iam sedet mens, quam vt eiusmodi fictiones veras iudicemus: et ipsum vulgus scripturam, fidei regulam, non ignorat, neque omnis christianae doctrinae tam est expers, vt, quae illi omnino aduersantur, in suam possit admittere religionem. Infamam plebem tale epos vix legere, aut legere posse, tacebo.

num ex fulgore, sed ex fumo dare lucem cogitat, qui non proiicit ampullas, et sesquipedalia verba, sed diuino suo ingenio, sententiisque magnificis, animum auditoris agit. Potissimum vero in excogitandis rerum similitudinibus in exhaustus est, atque ita venustus, ut verbis exprimi nequeat. Verbis utitur, ac phrasibus non a vulgo petitis, neque tamen ita a communi usu remotis, ut Delio natatore opus sit, atque in hoc optimorum poetarum utitur digna licentia, ut noua verba, eaque *εὐφρατικάτα* fingat, ac componat.

In verbis etiam tenuis cautusque serendis

Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.

Dixeris egregie, notum si callida verbum

Reddiderit iunctura nouum. Si forte necesse est

Fingere cinctutis non exaudita Cethegis

Continget; dabiturque licentia sumta pudenter.

Licuit, semperque licebit,

Signatum praesente nota producere nomen.

Ut siluae foliis pronos mutantur in annos;

Prima cadunt: ita verborum vetus interit aetas,

Et iuuenum ritu florent modo nata, vigentque

Debemur morti nos nostraque. — —

Multa renascentur quae iam cecidere, cadentque

Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus;

Quem penes arbitrium est, et ius et norma loquendi (b).

Dignus igitur est Poeta noster, quem gallico idiomate *vn esprit createur*, uti solent, appellemus, atque in hoc ipsos veteres superare videtur. Virgilius enim optima fere sua ex Homero, isque aliunde forsan habet, cum noster plurimarum veterum suarum auctor sit. Neque tamen, illum veterum vestigia saepius pressisse, negamus, quin ob id ipsum laudamus. Sed tantum abfuit, ut

) (3

ver-

b) HORATIUS *ibid.* 45. sequ. 58. sequ. et 70. sequ.

XIIII.

verbum verbo curaret reddere fides
Interpres: nec desiliit imitator in arctum,
Vnde pedem proferre pudor vetet, aut operis lex: (c)

vt vel minimas veterum poetarum videres maxima cum attentione obseruauerit, in vsusque conuerterit suos: (d) plura tamen, maioraque de suis addidit, atque ita vt aequalis sibi semper fuerit. Iterum in eum quadrant, quae de Poeta

Si quid inexpertum scenae committis, et audes
Personam formare nouam, seruetur ad imum
Qualis ab incepto processerit, et sibi constet (e).

Fictiones, si quas in medium protulit, finxit autem saepius et summo cum iudicio, ita comparatae sunt, vt vero simillimae videantur, nec omni prorsus careant probabilitate, Non

Humanò capiti ceruicem pictor equinam
iungere -- et varias inducere plumas,
Vndique collatis membris, vt turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne. (f)

Praesertim vero ἠθοποιίαν elegantissime obseruauit, in characteribus personarum describendis felicissimus, quin vix imitandus: qua in re potissimum poetae officium expleuit, (g) Nam

Aeta-

c) HORAT. *ibid.* 133. sequ.

d) In veterum graecorum et latinorum poetarum lectione versatissimus quisque hoc facile sentiet: neque frustraneum susciperet laborem, qui locos istos, ex veteribus licite desumptos, peculiari scripto notaret.

e) *vers.* 125.

f) *ibid.* 1. sequ.

g) De Ethopoeia aequae ac aliis, ad rem poeticam pertinentibus figuris, euolui merentur selectae IOH. DEKENI *Observationes Poeticae* ex edit. Dan. Georg. Morhof I, Kiloni 1691. p. 219.

*Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores;
 Mobilibusque decor naturis dandus et annis.
 Reddere qui voces iam scit puer et pede certo
 Signat humum, gestit paribus colludere, et iram
 Colligit ac ponit temere et mutatur in horas.
 Imberbus iuuenis, tandem custode remoto,
 Gaudet equis canibusque, et aprici gramine campi;
 Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
 Vitium tardus prouisor, prodigus aeris,
 Sublimis, cupidusque, et amata relinquere pernix.
 Conuersis studiis, aetas animusque virilis
 Quaerit opes et amicitias; inseruit honori,
 Commisisse cauet quod mox mutare laboret.
 Multa senem circumueniunt incommoda; vel quod
 Quaerit, et inuentis miser abstinet, ac timet uti;
 Vel quod res omnes timide gelideque ministrat,
 Dilator, spe longus, iners, auidusque futuri,
 Difficilis, querulus, laudator temporis acti
 Se puero, censor castigatque minorum.
 Multa ferunt anni venientes commoda secum,
 Multa recedentes adimunt. Ne forte seniles
 Mandentur iuueni partes, pueroque viriles,
 Semper in adiunctis aeuoque morabimur aptis. (h)*

Eamdem poeta noster stili quoque non intellexit so-
 lum, sed adhibuit etiam differentiam. Tenues res tenui,
 mediocres mediocri, magnificas stilo expressit magnifico.

*Descriptas seruare vices, operumque colores.
 Versibus exponi tragicis res comica non vult;
 Indignatur item priuatis ac prope socco*

Dignis

h) verſ. 156. 178.

XVI.

*Dignis carminibus narrari coena Thyestae,
Singula quaeque locum teneant sortita decenter.* (i)

Doctissimus noster naturae vitaeque imitator bene quoque habuit perspectum, nil valere poema, quod non est optimum: nam — — — *mediocribus esse poetis*

Non homines, non dii, non concessere columnae. (k)
Poetices finem ex asse consequi studuit, docere scilicet et delectare (l).

Aut prodesse volunt aut delectare poetae
idque tali ratione, ut, quo saepius diuinum eius carmen legatur, relegaturae, eo magis placeat.

Haec placuit semel, haec decies repetita placebit. (m)
Admiscuit quoque ita bene τὸ πᾶθος, ut auditores suos, quocumque velit, rapiat.

*Non satis est pulchra esse poemata; dulcia suntu,
Et quocumque volent, animum auditoris agunt.*

Ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt

Humani vultus: si vis me flere, dolendum est

Primum ipsi tibi; tunc tua me infortunia laedent. (n)

Sed dicendi finem quando facerem, si omnes huius poetae veneres ob oculos ponerem? Quasdam tantum vel e longinquo monstrasse sufficiat, cum propius eas spectandi tempus deficiat et locus. Singula enim exemplis comprobare, fusiosem requireret tractationem, quam angusti huius scriptionis limites nobis concedunt.

Filium igitur abrumpentes, votis his nostris petimus veniam, ut plures in dies musa KLOPSTOCKIANA acquirat amicos

i) vers. 89. sequ.

k) vers. 372. sequ.

l) vers. 333.

m) vers. 365.

n) vers. 99. sequ.

nicos, fautores, lectoresque intelligentes, deinde vt verificatoribus nostri saeculi latendi det prudens consilium, ac denique vt summus hic poeta, Germaniae decus ac lumen, eadem diligentia ac venustate reliquam poematis partem absoluat, lente festinans. *Nam Vos* —

— *carmen reprehendite, quod non*
Multa dies, et multa litura coercuit, atque
Praefectum decies non castigauit ad unguem. (o)
Saepe stilum vertas iterum, quae digna legi sint,
Scripturus: neque te vt miretur turba labores;
Contentis paucis lectoribus. (p)

Sed vt ad disputationis huius qualiscumque occasionem reuertar, indicenda mihi erit sollempnis in Schola nostra Ducali panegyris, qua felicissime redeuntem auspaticissimum *Serenissimi Ducis et Patris Patriae CAROLI* natalem celebrare constituimus. In *optimum Principem* animus submissus, cum pietate et amore coniunctissimus, festum hunc diem, quem Deus nobis et posteris nostris felicissimum saepius redire iubeat, sine publica laetitiae nostrae significatione praeterire, vetuit. Cuius enim sub alma tutela Musae huc vsque nostrae tot ac tantis adfectae sunt beneficiis, hunc publicis laudibus nostris carere vnumquam, summum foret nefas, immo piaculum. Communem nostram pietatem, et totius regionis vota interpretabuntur sex supremi ordinis nostri iuuenes, qui optima quaeuis patriae pollicentur, in orationibus elaborandis satis huc vsque exercitati. Nulla neque loci, neque profectuum; sed linguarum tantum ratione habita, ita se in dicendo excipient:

I O A N .

o) vers. 291. sequ.

p) *Satyr.* Libr. I, 10, 72. sequ.

XVIII.

IOAN. AVGVSTVS MYLIVS, Vuolfenbuttelenfis, *motum plantis vitam et incrementum largiri*, oratione teutonica. proſa probabit

CONR. DIDERICVS FRANCISC. LEHMANNVS, Noſtras, *Dei prouidentiam, in vitae humanae initio, progresſu et fine conſpicuam*, graece celebrabit

LVD. CONRAD. HANTELMANNVS, ciuis noſter, *de Numismatologiae praestantia* vernacula perorabit

IOAN. OTTO HOLMANNVS, Vuolfenbuttelanus, *de genuinae amicitiae fundamento* verſibus latinisaget

CHRISTOPH. LVD. VLRICVS DEDEKINDVS, Scheppenſtadienſis, patrio idiomate ſoluto *vatem, niſi in ſua patria, non eſſe inhonoratum* probabit


GEORG. CONRAD. RVDOLPHI, Weſterhuſanus, carmine germanico *Sereniſſimi CAROLI natalicia* celebrabit.

Rhetorum noſtrorum imperitiam diei ſollemnitas compenfabit, quam vt *CELSISSIMI IUVVENTVTIS PRINCIPES, Illuſtriſſimi ac Perilluſtres Aulae Proceres, Publicae Rei Curatores, ac Sacrae Antiftites venerabiles ac reuerendi, varia munerum dignitate ſpectabiles reliqui Fautores atque Amici, Humanifſimique Muſarum, quas haec vrbs alit, Patroni* frequentia ſua exoptata perficiant, ego iam ea, qua decet, obſeruantia, pietate atque amicitia enixiſſime contendo. Diem huic panegyri deſtinauimus IIII menſis Auguſti, eiusque horam poſt meridiem III, quae vt Auditores nobis frequentes adducat, in optatis habemus maxime, quibus et nos et ſcholam noſtram decenter commendamus. P. P. Vuolfenbutteli

d. IV. Cal. Sextil. a. a. f. n. MDCCLII.



Verfertigt
von
L. A. GARBE
Rostock
Breite-Str. 25.



pres, lectoresque intelligentes, deinde vt verificatri
saeculi latendi det prudens consilium, ac deni-
mus hic poeta, Germaniae decus ac lumen, ea-
ntia ac venustate reliquam poematis partem ab-
te festinans. *Nam Vos* —

*carmen reprehendite, quod non
dies, et multa litura coercuit, atque
ctum decies non castigauit ad unguem. (o)
silum veritas iterum, quae digna legi sint,
rus: neque te vt miretur turba labores,
tis paucis lectoribus. (p)*

ad disputationis huius qualiscumque occasionem
dicenda mihi erit sollempnis in Schola nostra Du-
yris, qua felicissime redeuntem auspicatissimum
Ducis et Patris Patriae CAROLI natalem con-
stituimus. In *optimum Principem* animus sub-
m pietate et amore coniunctissimus, festum hunc
n Deus nobis et posteris nostris, felicissimum fae-
iubeat, sine publica laetitiae nostrae significatione
vetuit. Cuius enim sub alma tutela Musae huc
trae tot ac tantis adfectae sunt beneficiis, hunc
udibus nostris carere vnumquam, summum foret
no piaculum. Communem nostram pietatem, et
ionis vota interpretabuntur sex supremi ordinis
nes, qui optima quaeuis patriae pollicentur, in o-
elaborandis fatis huc vsque exercitati. Nulla ne-
eque profectuum; sed linguarum tantum ratione
se in dicendo excipient:

I O A N.

291. sequ.

p) *Satyr. Libr. I, 10, 72.* sequ.